




HISPANIÆ AD GALLIAM EPISTOLA.

H. J. n. 77.
(23)

PERLEGE quodcunque est, tibi littera lecta placebit:

Continet hæc animi nuncia verba mei.

Cum te fama novo donatam Principe dixit,

Non potui mentem dissimulare meam;

Exemploque tui feci, festosque per Urbem


Institui, populo concelebante, dies:

At neque nox plausu caruit, fax plurima noctem

Vicit, & inflatæ personuere tubæ.

Tum voce unanimi per compita lata frequentes

Latitiæ populi signa dedere suæ.



Vivat io Princeps, meruit vix natus amari,
 Nostraque vix natus corda repente rapit;
 Nec mirum, si nos non fama fefellit, Amorem
 Ore refert, toto est corpore blandus Amor.

Et si, cum dea sim, rite auguror, alter avitæ
 Hæres virtutis, Mars quoque & alter erit
 Hoc spondet clarus, quo lumina blanda renident,
 Ignis, & insolitus qui micat ore, vigor.

Spondet BURGUNDUS, qui vix juvenilibus annis
 Ut primum novit bella, trophæa tulit.

Hoc DELPHINUS idem, toties qui victor, amicam
 Cujus adhuc sentit Flandria salva manum.

Spondet & hoc LODOIX, cujus victoria gressum
 Ad Domini nutus obsequiosa, præit.

Qui cum Victrici vibrat sua fulmina dextrâ,
 Proruit hostiles in sua damna manus.

Hos ille inspiciat, non hæc exempla petuntur
 Longius, ante oculos, quos imitetur, habet.

Nunc Germanæ Aquilæ Batavique pavete Leones,
 Cedite, vel vobis certa ruina venit.

Quem nunc conspicitis tenerum cunisque jacentem,
 Nil nisi parvulus est & sine voce puer.

At si fata finant, veniet modo fortior ætas

Inque artes patrias erudiendus erit.

Quantus honos surgit tibi nunc, ô Gallia! Quantum

Ex illo capiunt lilia vestra decus!

Alcidem laudant, quod adhuc cùm parvulus esset,

Elisit tenerâ monstra cruenta manu.

Quam puer hic major! Vix hunc Germanica natum,

Hunc & vix natum Battava terra timet.

Nec tamen ista magis me tangunt omnia, quamquod

Rex nobis certo jure PHILIPPUS erit.

Nam, fateor, nondum BURGUNDO Patre, timebam

Ne sua præferret Gallica sceptrâ meis.

Hoc timui; cumque hunc media inter tela viderem;

Hortantemque alios in fera bella duces:

Cum Luzaræ victus victrici tempora lauro

Hostes in celerem verteret ille fugam:

Cumque meis nuper tot finibus addidit urbes,

Accumulans factis inclyta facta novis:

Ipsa mihi, nam quid tibi tantum Hispania plaudis?

Aiebam: Laudem Gallia sola feret.

Sed melius nobis Deus aspiravit, opesque

Dum vestras auget, servat & ipse meas.

Noster erit tandem, Princepsque Paterque PHILIPPUS,

Ipsa mihi plaudas, Gallia, noster erit.

Hic reget Hispanum patriis virtutibus orbem,

Francigenas olim qui regat, alter adest.

Utque pari, quo vos, cumulet nos munere coelum,

Oro tuas nostris, Gallia, junge preces.

Sic & cernemus titulis accedere nostris

Quamcunque allambens continet æquor humum.

Sic totum Gallus simul Hispanusque per orbem

Inter se pacto foedere jura dabunt.

E. LE BRUN, S. J.